

1379

inclinare cœpit : Pisanus medio certamine ægre revulsus , victoriam hosti relinquens , trepido cursu & ipse domum contendit . Quindecim Venetæ triremes cum ipsis turmis in hostium potestatem venere . Paucissimi ubi rem perditam viderunt , consulto proximis littoribus illati in terram evasere . Ad duo millia hominum ea pugna capta dicuntur , in quibus multi patricii sanguinis fuere : cæteri partim cæsi partim vulnerati sunt . Pridie nonas Martias ea clades accepta est , qua omne fere maritimi belli robur est amissum . Tam funesta pugna nuncius ingenti mœrore civitatem affecit . Pisanus & alii triremium , præfecti , quia pugnam detrectarant , jussu Patrum ærarii prius facti , in vincula sunt conjecti : illi , quia deferendo suos acceptæ cladi causa fuissent , Victor , quod ad pugnam inexplorato exivisset . Pisani damnationem iniquo animo populus tulit , sed iniquiore ipsam carceris ignominiam : rumor erat , invidia paucorum nobilium potius quam quod ita meritus esset , Victorem in vinculis esse . Genuenses una prospera pugna in spem majorum rerum erexit , ubi Jaderam venerunt , captivis præter paucos ignobiles in vincula conjectis , ad reparandas naves conversi , quæ non mediocriter pugna illa fuerant concusæ , Venetas inde Dalmatico remige instruentes , brevi tempore ad octo & quadraginta navium classem expleyere . Prius vero , quam clades illa ad Polam accepta esset , sex aliæ longæ naves fuerant domo educæ : ut & ipsæ in oræ Inferi maris res Ligusticas infestarent . Hæ quinque illas non multo ante profectas , quibus Carolus Zenus præerat , procul domo adeptæ , in reliquum anni usque ad medium brumæ (quo fane tempore , jam amissa Clodia , publico decreto revocatae sunt) rem fœliciter Infero Superoque mari gessere . Ligur interim quum jam triremium multitudine abundaret , sexdecim Jadera educætis , Humagum , Gradum , ac Caprulas uno tempore occupat : inde onerariam unam secutus , Venetas usque tumultuose annavigavit . Et jam in conspectu urbis erat , quum Thomas Mocenigus , cuius oneraria illa erat , aquis & vento deficientibus , ad mille passus navi littoribus admota , ipse cum

Pisanus ad
Polam clas-
sem amissi-
atque ob id
in vincula
conjectus
est.